Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ut ea serpentium morsibus membra, et iteratis subinde iterum repetitis morsibus attrec-
tentur. En omnis causa certaminis, que penas martyrii docet tollerabiliter debere
sufferri. Nolite ergo amici, nolite o parentes, nolite o coniuges venerande sanctorum, nolite a
vita ad mortem quos diligitis revocare, ab eterna requie ad penas sempiternas ac-
cendere. Hoc est cum diabolo qui piscibus hamum tendere, et invitare ad modicam suavita-
tem, in qua interius lateat cruciatus viscerum, et mors interior exorta. Numquid non hoc est
ad compensacionem deliciarum eternarum fugitiva gaudia ante ponere, et ut preparatum
videat eternis fletibus mancipare? Hoc in gladiatoribus qui se ultro offerunt uni-
versi dampnamus, qui considerant unius anni delitias, et non cogitant qui fructus ex ipsis
deliciis oriantur, et illi crucientur ictibus gladiorum, et alterna cede interna viscerum scisso
ventris tegmine in conspectu preferuntur populorum, ut pinguedo quam inconsulta sagina
contulerat offeratur diabolo devoranda. Isto consilio inimici quo isti hec faciunt, ipso
consilio ad vitam eternam euntes dei martyres revocantur, qui ut vitam paucorum dierum
vivant, docentur perpetuos cruciatus incurrere, et mortem perpetuam que specialiter
metuenda est non timere. Hoc loco forte illud opponitis, quare christiani tormenta
non metuant, et presentis non terreantur pena tortoris. Ideo non frangitur metu, ideo dolo-
res non pertimescit, quia scit se unius doloris precio perpetue sanitatis gaudium emere, et
per momentaneam tribulationem ad perpetuam felicitatem et sempiternam leticiam perve-
nire. Sed si ex toto a quibusdam timendus sit dolor, timidus sit carnifex, timida
quoque sit nova et exquisita pena tortoris, que magis timida, que magis fugienda
est et cavenda, ista que hodie exardescit, ista que sub hora inducitur, sub hora exclu- et cinis evanescit.
ditur, an illa que nullo fine concluditur, nullo tempore finitur, nulla prorsus consumi-
tur vetustate? Nam iste dolor aut levis est et potest tolerabiliter sustineri, aut gra-
vis est et cito glorioso certamini affert finem. Ille autem penarum dolor et cruciatus incendii
qui huius vite amatoribus datur, cum sit vehementior universis tormentorum generibus,
numquam finiendus aggreditur, et acrius subinde quam inchoaverat sevit, et nullus sevi-
endi terminus, nullus omnino finis occurrit, sed habent secum diversa suppliciorum
genera, que subinde renovantur ut seviant, augmentantur ut exurant, inflammantur
ut excrucient. Hic ergo ab hoc interitu quos amamus hortemur evadere, et nos ipsos ad
evadendum fortiter preparemus, nec timeamus una hora dolorem in corpore, qui op-
tamus gaudere cum Christo. Premittamus animas nostras cum palma ex hoc egredi corpore,
penas eternas evadere, et ad possessiones sidereas plena delectatione pervenire.
Lacrimas nostras convertamus in gaudium, et non debemus quasi morituros plangere, quos
cum Christo credimus regnaturos. Congratulemur victoribus hostium, conculcata eorum
cervice. Congratulemur martyrii pretexta indutis, et celi factos consules gloriemur. En
dies in quo vincere se tyrannus estimabat, qui dum capit captus est, dum tenet vinctus
est, dum torquet torquetur, dum insultat irrisus est. Hunc ergo in amore martyrii
suscitemus, et iam nostros affectus, ut illum qui de nostra captivitate voluit victoriam
capere fortiter capiamus, et qui a gravi sompno expergefacti aperiamus oculos animarum,